

1. Anton f. Pauli's Veritas  
Christiane Religionis,  
Hale, 1718.
2. Diff. de Insigni  
Harmonia fidei que iusti-  
ficat, et fidei, quatenus  
iustificare dicitur, Hale, 1723
3. Barth f. joh. Henr. f. Diff.  
de docta in theologia Ignoran-  
tia, Argentorati, 1717.
4. Baumgarthen f. Sigism. jac. f.  
Diff. de Limitibus in concili-  
anda Rationi Doctrina  
revelata observandis, Hale  
1751.

29  
Q. D. B. V.  
DE

ANNO ET DIE  
NATIVITATIS  
CHRISTI

DISQVITIONEM HISTORICO-CHRONOLOGICAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM  
ORDINE,

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SISTVNT

PRAESES

M. IOHAN. CHRISTIAN. KNEBEL

ONOLDINO-FRANCVS,

AC RESPONDENS

ALBERTVS GABRIEL GROTHAVS,

Osnabrugensis.

---

DIE X. OCTOBER. AN. MDCCXXII.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typ.

M. Wallb...

10  
D. 11. 11. 11

ANNONCE  
NATIVE  
CHRISTE

PROVINCIALE THEOLOGICAM  
CONGREGATIONIS THEOLOGICAM

M. JOHANN CHRISTIAN KIEBEL

ALBERTVS GABRIEL GÖTTWALD

This Johann Christian Kiebel, 1794





DE  
ANNO ET DIE NATIVI-  
TATIS CHRISTI.

DISSERTATIO  
HISTORICO - CHRONOLOGICA.

PROOEMIUM.



Bsonum profecto, imo incre-  
dibile plane multis videri  
potest, diem istum, quo to-  
tius humani generis salus in  
redemptore nostro lucem  
adspexit, nobis, qui de no-  
mine eius vocari amamus,  
obscurum, ne dicam plane ignotum esse. Equi-  
dem non desunt inter nos, qui primos christianae  
fidei propugnatores ex negligentia ac socordia  
arguunt, quod ad diem istum, quo laetio rem num-  
quam vidit tellus, non recte attenderint, aut non  
satis

fatis distincte indicatam nobis reliquerint. Verum, non est quod probra iactemus in eos qui primo Christo nomen dedere, quique de Christo magis ipso, mysterioque adventus eius in carnem, quam de computationibus dierum mensumque, quibus accidit, solliciti erant, ac de noua aera compilanda nondum cogitantes, eorum, quorum imperio suberant, usi sunt. Quid quod & de re clara nullique ignota multa litteris consignare minus necessarium esse crediderunt, illud satis esse existimantes, si generali aliquo signo, aut notabiliore temporis periodo, qualis erat notissima Augusto imperante facta descriptio, Christi saluatoris aduentum indicarent. Perstitisset utinam! ac etiamnum perstaret in ea simplicitate, is, qui Christi profiteretur nomen, coetus, mississet que potius curiosas ac inanes saepe de religione rebusque diuinis quaestiones, quibus inimicis nostris calumniarum erga nos fidemque nostram effusarum, ansam dederunt. Verum inueterauit iam consuetudo, isque seculi nostri mos est, ut de re quauis, licet minus saepe aut necessaria aut iucunda, multa multi disputent, scribant, ac diuulgent. Quare non miraberis, *Lector beneuole*, si quamplurimos inuenies, qui & in hoc, de quo impraesentiarum differimus argumento, multis aliis longe praestantiori, doctrinam diligentiamque suam probatam dedere. Superuacaneum nunc quidem foret nomina eorum, qui in hac materia calamum exercitarunt, commemorare, quorum iam maximam partem uir celeb. *Job. Alb. Fabricius* in *bibliographia*, quam uocat, *anti-quaria*

quæria nobis consignatam reliquit. Et quis nescit nomina uirorum maxima eruditione conspicuorum, Allixii, Baronii, Basnagii, Bynæci, Capelli, Casauboni, Marckii, Norrisii, Pagii, Petauui, Scaligeri, Tillii, aliorumque, quorum labore hæc de natali Christi materia exposita est atque elaborata. Vna erat omnibus mens, eademque animi sententia. Falsam esse, qua hodie utimur a Dionysio cognominatam aeram, omnes confitentur ac singuli. Vnus omnibus labor, ueritatem ut inuestigaret unus quisque manum admouit, certiora ut proferrent singuli operam dederunt. Sed & bonus interdum dormitat Homerus, & sagacissimi etiam hallucinantur. Contradicunt sibi inuicem viri celeberrimi, nec duos inuenies, qui de una sententia prorsus conueniant, nisi de eo sit, quod falsitatis Dionysianam aeram unusquisque arguat.

Lucam natale Christi describentem auctorem habent, a quo recedere merito sibi religioni ducunt. Ast obscura sunt quæ Lucas tradit indicia, quæque quod plurimi credunt, conciliationem cum exotica historia uix admittunt. Inde tot explicationes, tot interpretationes, tot correctiones uidebis, ut quo te uertas, aut quamnam eligas, quam sæpissime nescias, omnes adhuc suis dubiis laborantes.

E tanta itaque opinionum farragine ea præcipue in hac nostra dissertatione seligere atque proferre nobis animus est, quæ nec profanæ historiæ contra dicunt, nec uim sacris litteris inferunt, quæque post habitis præiudicatis opinionibus, saniora reli-

reliquis ac clariora nobis uidentur. Ordine igitur ut procedamus, totam hanc dissertationem nostram *quinque* potissimum *partibus* absolendam duximus, quarum *prima* de descriptione a Luca indicata, *secunda* de morte Herodis Iudaeorum regis, *tertia* de argumentis a baptismo Iesu Christi petitis, *quarta* de sententia quorundam Patrum ecclesiae, *quinta* denique de mense ac die, quo auram communem haurit mundi salus, aget. Benigne *Tu* iudicabis, *Lector* *beniuole* de hoc labore nostro, & si nos errantes deprehendes, *re-* *ctam* uiam nobis monstrare non recusabis,

## CAP. I.

De

# DESCRIPTIONE A LUCA INDICATA.

§. I.

*Census isto  
an uniuersalis,  
an  
particularis  
fuerit?*

**D**E die natalitio Iesu Christi uerba faciens sacer historicus, signum ex quo tempus eius cognoscere liceat, praeterea nullum addit, quam quod incidisse illum ait in id tempus, in quo descriptionem totius orbis agere iusserat Augustus Imperator. *Εγένετο δὲ, inquit. Cap. II. v. I. 2. ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξήλθε δόγμα παρὰ Κεῖσαρος Ἀυγούστου ἀπογεράφειν, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, αὐτὴ ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύουτος τῆς Συρίας Κυρηνίου.* Quibus uerbis non una *crux* *figi-*  
tur



tur ingenio. Censum quidem ab Augusto in Iudaea actum esse omnes consentiunt, idque exotica etiam historia nos docet. Sunt vero, qui, quem uniuersalem discretis uerbis fuisse dicit Lucas censum, particularem sibi fingunt. Inter quos praecipue Anton. Eynaeus in eo quem *de natiuitate Christi* conscripsit libro, *πᾶσαν τὴν Ἰουδαίαν* pro sola Iudaea, quae isto tempore Herodis imperio paruit, uenditat, firmissimeque credit, censum hunc solummodo per Iudaeam fuisse exactum. Cuius suae opinionis fundamentum apud Esaiam Prophetam cap. XIII. 5, & cap. XIV. 26. inuenisse sibi uisus est. Seda Luca aliisque noui foederis scriptoribus non nisi de toto orbe inhabitabili phrasin hanc usurpatam fuisse, praeter alios nos docet, qui & exempla plurima congescit, *uir Excell. Joh. Gottl. Heineccius* profess. huius loci celeberrimus in dissertat. *de uera natiuitatis Christi aera numis & inscriptionibus illustrata*, hic loci an. 1708. habita.

§. II.

Quam maxime autem a Luca differt Historia profana, cui si fidem haberemus Lucae autoritas necessario esset postponenda. Certo enim certius est, eque Iosepho diligentissimo accuratissimoque rerum illius temporis interprete discimus, Quirinium demum post mortem Herodis Magni, Archelao iam iam damnato atque in exilium eiecto, Syriam administrasse. Cuius administrationis annum primum in annum Christi septimum, si communem aeram sequimur, incidit.

sc,

fe, *Ant. Pagi in apparatu Chron. ad annal. Bar. §. CXXXll. probat.* Natale autem seruatoris in diebus Herodis adhuc contigisse, Mathaeus euangelista, omni exceptione maior testis, nos docet. Igitur tam manifestum sacram ac profanam inter historiam dissensum ut tollant uiri docti, uaria excogitarunt, ingeniosa saepe quidem ac speciosa, nec tamen ita semper firma ut quod reponere possint, non inueniant alii.

## §. III.

*Scaligeri  
de censu hoc  
sententia.*

Duplicem a Quirinio in Iudaea factam esse descriptionem statuit *Scaliger* in *animaduers. ad Eusebium*, unam Herode in uiuis adhuc supersiste, sub qua omnes Pop. Rom. focii ac prouinciae essent comprehensae, alteram Herode iam defuncto, atque Archelao ciecto, quae solummodo intra unius Archelai patrimonium ac tetrarchiam, in prouinciae formam nunc redactam, steterit. Ea de caussa etiam *Lucam* uerbum *πρώτη* addidisse existimat, v. 2. dicens: *ἔντη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο*, cet. certe, inquit, si est *πρώτη*, ergo quaedam fuit *δευτέρα*. Cuius secundae descriptionis etiam meminisse putat *Lucam Act. V. 37.* ubi de *ἀπογραφῇ* quadam loquentem inducit *Gamaliel*em. Verum neque *πρώτον* necessario ad secundum referri, neque locum quem ex ipso *Luca* petiit *Scaliger* ipsius sententiae fauere, pluribus demonstratum dedit *V. C. Sam. Basnagius* in *exercit. Histor. crit. ad ann. Bar. p. 184.* Certe uero propius uidetur, *Gamaliel*em, si hoc loco iteratae *ἀπογραφῆς*

Quis mentionem facere uoluisse, uerbum addidisse, ex quo qualemnam descriptionem intelligeret, unicuique paruisset.

§. IV.

Sunt qui nodum ut facilius soluant, uerba haec Lucam auctorem plane non agnoscere credunt. *Totum hunc uersum, parenthes. inclusum non esse Lucae, sed postea ab alio quodam minus perito fuisse insultum iudicat Lud. Capellus in comp. Histor. Iud. ad Iosephi l. XVIII. c. I.* Verbum Κουήλιου pro Κουήλιου in curia forte scribarum irrepsisse sibi persuadent V. C. Petr. Dan. Huetius, ac Steph. Curcellaeus. Sed mutationes ac sphalmata textus sibi praeter necessitatem fingunt uiri clarissimi, cum de conciliatione cum profana historia nondum sit desperandum, quod ab hermeneuticis regulis plane abhorret. Taceo apud historicos Vari cognomen semper Quintilio addi, si nempe de ipso sermo sit.

§. V.

Speciosiora sane, ingeniosoque uiro magis digna sunt ea, quibus mentem suam hac de re exponit doctiss. Ant. Pagi, Norrisium hoc passu secutus, existimans: Quirinium eo tempore bello in oriente contra Homonadenfes feliciter confecto, extraordinario aliquo imperio ab Augusto in Syriam missum fuisse, ut tum ibidem, tum in Iudaea, socia tunc ac amica cum Populo Romano gente, censum perageret. Qua in re exequen-

A quibus alieni sunt Pagi, Norrisius ac Spanhemius.

B

quenda Sentijs Saturninus Syriam tunc adminiftrans, Quirinio isto, ob recentem uictoriam tota Asia clariffimo, subordinatum fuisse. Cui etiam fententiae calculum suum adiecit eruditiff. *Spanhemius Dub. Evang. P. II. Dub. VI.* Restant tamen adhuc dubia, ac in fententiam clariffimorum uirorum quominus eamus, duo nobis praefertim obstant. *Primum* est, quod ἡγεμονέουλος uerbum, Quirinio apud Lucam attributum, non extraordinarium quoddam officium seu delegatum, sed ordinarium praefectum denoter, id quod exempla nos docent. Neque nos tangit, quod Graeci Praefidem alias ἐπιστάτην, uel ἐπιστάδουρα uocare soliti sint, quod in differt. supra laudata §. XXV. p. 39. urget uir Excell. *J. G. Heineccius*, cum in toto N. T. ubi de Praefidibus Syriae sermo est, uoces has uix reperijs, ἡγεμονέουλος uoce semper usurpata. Quo sensu inuenimus positum apud Mathaeum c. XXVII. 2. II. 14. 15. 21. 23. 27. apud Lucam cap. XX. 20. in Actis Apostol. cap. XXIII. 24. 26. 33. 34. c. XXIV. 1. 10. c. XXVI. 30. quae loca omnia de Pilato, Felice aut Festo Syriae praefidibus agunt. Ex quo porro patet auctoritatem Dionysij Arcopagitae, cuius testimonio nititur auctor differtat. celeberr. & cui etiam ii, qui baptismi die infantum loco sponfionem egerunt ἡγεμονέουλος audiunt nihil fententiae nostrae derogare. Nam si & genuina essent quae sub nomine eius circumferuntur scripta, quod tamen negant ac pernegant uiri docti, seculique demum quinti scriptorem quendam pro auctore uenditant; nihil tamen

men factorum scriptorum auctoritati exinde decerperetur, qui omnes in sensu huius uerbi aman-  
tissime conspirant. *Deinde* etiam nulla de ex-  
traordinaria hac Quirinii missione exoricorum  
scriptorum inuenies testimonia. Vix certe cre-  
dibile est, Iosephum, qui de Quirinii aduentu re-  
busque in Syria gestis multa postea disseruit, pri-  
mum hoc tamque notabile eius in Iudaea susce-  
ptum negotium reticuisse, qui tamen saepe resle-  
uioris momenti accuratissimo calamo descripsit.  
Quid quod & Augustus Sentium Saturninum, ui-  
rum consularem longeque clarissimum haut leui-  
ter offendisset, si ad exigendos census in praefe-  
ctura eius misisset uirum honore ac dignitate ipso  
inferiorem. Denique abhorret a ueritate, quod  
Herode uiuente a praefecto quodam Romano  
Iudaea sit descripta, hoc enim facta regia Hero-  
dis dignitashaut parum detrimenti passa esset, ab  
Augusto tamen ipso confirmata. Neque profe-  
cto opus habuisset Augustus Quirinium aut alium  
census agendi causa eo mittere, nemine Herode  
ipso, qui sanctissime colebat Augustum, ac cuius  
uicissim amore flagrabat Augustus, ad peragen-  
dum eum aptiore aut accomodatiore, id quod  
pluribus obseruauit *Sam. Basnagius in exercitat.*  
*Histor. crit. p. 195.*

§. VI.

Remotis hisce dubiis nihil amplius restat, <sup>Censum an-</sup>  
quam ut, qua tandem ratione Lucae uerba ita <sup>te praefo-</sup>  
sunt interpretanda, ut nullum super sit dubium ex- <sup>Quam</sup>  
Quirinii <sup>Quirinii</sup>  
B 2 <sup>plice-</sup> actum esse

demonstratur.

plicemus. Aptiorem profecto ac commodiorem hucusque nullam inuenire nobis licuit explicationem ea, quam tamquam uolentam ac ineptam cum *Casaubono* explofit doctissimus *Heinecius*, uocem  $\pi\epsilon\omega\lambda\eta$  comparatiue pro  $\pi\epsilon\delta\lambda\epsilon\alpha$  positum accipiens. Certe quod nulla alia facit haec praestat explicatio. Concordat cum historia extranea, soluit dubia, nullamque sacris literis uim aut manum infert. Conuenit profecto cum historicis aliis quod *Lucas* ait: *Haec descriptio* ( $\pi\epsilon\omega\lambda\eta$ ) *prius, uel ante, facta est, quam Syriae regendae praeficeretur Quirinius.* Ergo non unius, sed duplicis descriptionis mentionem fecit *Lucas* Augusto imperante factae, quarum prior *Herode Magno* imperante adhuc, mortuo eo altera, atque in exilium misso *Archelao*, contigerit. Neque opus est ut disputemus, an *Sentii Saturnini* an uero *Quirinii* ministerio haec descriptio facta sit? nondum enim in prouinciae formam *Iudaea* erat redacta, census proinde nec a *Saturnino*, nec a *Quirinio* sed ab ipso *Herode* rege erat agendus. Erat autem ista *Herodiana* descriptio tantummodo descriptio hominum seu familiarum & pers. naturum, altera autem a *Quirinio* peracta fuit ἀνοριστικῆς οὐσιῶν, descriptio facultatum. Illam nullum cum Romanis socium regnum recusauit, hanc solum illi qui bello erant uicti tributi causa soluerunt. Vnicum adhuc restare multi credunt dubium, nempe sine ulla probatione uocem  $\pi\epsilon\omega\lambda\eta$  ita esse explicatam, cum nullibi in N. T. pro  $\pi\epsilon\delta\lambda\epsilon\alpha$  sit positum, adeoque hanc explicationem discedere

dere ab usu loquendi scriptoribus sacris familia-  
ri. Verum euoluant illi quae *Iohannes cap. I.*  
*v. 15. & Cap. XV. 18.* scribit, ac uideant an aliter  
quam de comparante gradu uerbum hoc possit  
explicari, quod certe sine uiolentia fieri uix  
poteſt.

CAP II.

De

MORTE HERODIS MAGNI.

§. 1.

**S**tabilatio nunc facis firmiter descriptionis,  
cuius Lucas meminit, termino; disquiren-  
dum nunc quoque nobis erit de eo quo ui-  
tam finiit Herodes tempore. Herode isto cui  
*Magni*, uel *Senioris*, ac *Idumaei* nomen tribuunt  
historici, adhuc uiuente, Saluatorem nostrum ui-  
tae humanae lucem adiisse, uel solius *Mathaei* au-  
ctoritas dubitare nos non finit, qui *Cap. II. v. I.* id  
diferis uerbis exprimit. Vnusquisque igitur haut  
difficiliter intelliget, cur in hac nostra dissertati-  
one praecipue de morte Herodis agere institue-  
rimus? Nobis enim de natiuitatis Christi anno  
inquirentibus certior nulla atque exploratio pos-  
test esse regula, quam istud temporis spatium,  
quod inter Christi natale & Herodis exitum inter-  
cessit. Id autem ut euincamus denuo nobis Io-  
sephi auctoritas atque fides est imploranda; ex cuius

*Cur de mor-  
te Herodis  
hic agatur?*

ius fortibus reliqui, ut *Petanii* uerbis utar, qui eadem postea commentati sunt, riuulos suos duxerunt.

## §. II.

*Duplex a-  
pud Iose-  
phum anno-  
rum Hero-  
dis epocha.*

Duplicem autem apud Iosephum inuenimus imperii Herodis epocham, unam ab anno Iuliano VI, Cn. Domitio Caluino II, & C. Asinio Polli-  
one, alteram ab anno eiusdem epochae IX, M. Vi-  
pliano Agrippa, ac L. Caninio Gallo, Consuli-  
bus, incipientem; quarum primam ab eo, quo  
a Senatu rex factus est, tempore, postremam au-  
tem ab extirpatione Hasamonaeorum in Antigo-  
ni persona facta, expugnatisque Hierosolymis,  
deducit, de quibus uide sis *Petanium* in *doctrina  
temporum* l. XI. c. 2. Regnauit autem Herodes,  
si Iosepho l. XVII. c. IO. fides Μεθ' ὃ μὲν ἀνέβλεν  
Ἀσλιγον ἐτη τεσσαρα καὶ τριάκοντα, Μεθ' ὃ δὲ ὑπὸ Ρω-  
μαίων ἀποδέσμευτο ἔτη τεσσαρα καὶ τριάκοντα. i. e. postquam  
Antigonum sustulit, annos triginta quatuor, post-  
quam uero a Romanis rex declaratus est, annos tri-  
ginta septem. Annus autem Iulianus VI, est an-  
nus ab V. C. DCCXIV, cui si triginta septem quos  
regnauit superaddes, habebis annum ab V. C.  
DCCLI, Jul. XLIII, Aug. XLII.

## §. III.

*Quonam  
anni tem-  
pore Hero-  
des uitam  
finierit?*

Et hoc quidem mortis tempus Herodis, si Iosephum paullo accuratius intueamur, facili modo est inueniendum; non autem aequae facilis est coniectura, quonam anni tempore impuram animam effla-



efflauerit? *Petauius* quidem l. XI. *doctr. temp. Cap.*  
 I, Martio mense cum e uiuis discessisse existimat,  
 defectione lunari, cuius *Iosephus* l. XVII. ant. Iud.  
 cap. XI. meminit, eam *Herodis* mortem antecessis-  
 sisse, eo inductus. Neque tamen ita clara est lu-  
 nae haec defectio, ut huius caussa a sententia ue-  
 ro propiori recedere uellemus. Dudum enim V.  
*C. Ant. Pagi Tom. I. Appar. chron.* n. CXLII, obser-  
 uauit, *Iosephum* l. XIV. c. 21. de caede *Caesaris* a  
*Cassio* Brutoque patrata, uerba facientem, deli-  
 quii cuiusdam solis meminisse, quod tamen, hi-  
 storis coactis omnibus ac ipso *Petauius* fatenti-  
 bus, nil nisi pallor solis fuerit. Sic etiam hanc lu-  
 nae eclipsin a *Iosepho* memoratam ueram eccli-  
 psin fuisse, alibi non constat, ideoque etiam ex  
 computo eclipsium is qui *Herodi* ultimus fuit an-  
 nus, certo ad struere non potest; praesertim cum  
*Iudaeorum* fasti plane aliud mortis eius tempus  
 designarunt; illi enim ad diem septimum men-  
 sis *Casleu* supplicationem *Synagogae* indicunt,  
 quod eo die *Herodes*, qui sapientes odio persecutus  
 est, mortem obierit, testante *Vsserio*, ac *Pagio Tom.*  
*l. n. CXLIII.* E quibus auctoribus simul discimus,  
 VII. hunc mensis *Casleu* diem circa XXV. Nouem-  
 bris nostri incidisse.

§. IV.

Isto autem lunae defectu, de quo modo lo-  
 quuti sumus, inducti, in eam opinionem descen-  
 derunt plerique doctissimorum uirorum, ut cre-  
 derent, *Herodem* anno Iul. XLII, Aug. XLI, uitam  
 cum

*Herodem*  
 anno XLII.  
 Iul. mor tu-  
 um non esse.

cum morte commutasse, quoniam nempe tabulae astronomicae defectum quendam solis circa id tempus, Martiumque illius anni mensem indicant. Verum enim vero cuilibet rem accuratius inspicienti patebit, contrariam esse hanc computationem ea ipsa, quam nobis Iosephus praebet, quem tamen se secutos esse omnes arbitrantur. Si enim Herodes ab anno Iuliano sexto XXXVII, aut ab eiusdem epochae anno nono XXXIV, annos regnavit, certe non anno XLII, sed XLIII Iul. Augusti uero XLII, mortuus est, id quod digitis quilibet computare potest. Annus autem Iulianus XLIII, est annus ab v. c. DCCLI, qui is est quo animam efflauit Herodes.

## §. V.

*Certum  
mortis eius  
tempus e-  
uincitur.*

Huic nostrae sententiae quam maxime fauent epochae filiorum Herodis *Archelai*, *Antipae* ac *Philippi*, quorum prior, qui Iudaeam cum Samaria possedit, Iosepho l. XVIII. antiq. Iud. cap. VI. obseruante, *δενότω έτεi τής άρχής, decimo principatus anno ab Augusto proscripius fuit*, quam relegationem *in annum trigesimum septimum post uictum a Caesare in Actiaca pugna Antonium*, incidisse, idem Iosephus l. c. cap. III. auctor est. Apud Actium uero pugnatum est anno Iul. XV, Augusti XIV, Augusto III, & M. Valerio Messala consulibus, id quod *Dio* refert *Libr. LI*. Igitur si huic triginta septem adicias, inuenies annum ab v. c. DCCLX, Iulian. LI, Aug. LI; de quibus si nouem, quos regnavit Archelaus subduces, residuum indica-

dicabit supra a nobis stabilitum annum. Pari modo id ex annis Antipae secundi Herodis filii, qui Galilaeae ac Peraeae praefuit, discimus; cuius imperii auspicio in consulatum Cn. Cornelii Lentuli, & M. Valerii Messalae, h. e. in eundem quem posuimus XLIII. Iul. annum incidisse, e celeberrimo Rigordi numo ulterius probat cl. *Heinzeccius* l. c. §. XI. p. 21. De Philippo autem tertio fratre, qui Trachonitidem, Auranitidem, ac Batanaeam obtinuit, idem *Iosephus* antiq. l. XVIII, c. VI, dicit: *Φίλιππος τελευταῖον τὸν βίον ἐνοσχάμεν ἐνιαυτῶ τῆς Τρισεγίου ἀρχῆς, ἠησοόμενος δὲ αὐτὸς ἔπτα καὶ τριάκοντα.* *Philippus vitam finit anno Tiberii principatus vigesimo, cum ipse regnasset annos triginta Septem.* Annus autem Tiberii XX, ac Philippi XXXVII. coincidit cum anno ab v. c. DCCLXXXVII, Iul. LXXIX, ex quo necessario sequitur initium regiminis Philippi incidisse in annum ab v. c. DCCL, Iul. XLIII, quo statim post mortem patris habenas regni cepit.

§. VI.

Ordinato igitur eo tempore, in quo mors Herodis contigit, unica nobis quaestio adhuc superest, eaque difficillima, siquidem in ea testimoniis extraneorum scriptorum omnibus destituimur, quantum nempe temporis inter natale Christi Herodisque obitum intercesserit? Ambularem & hic in tenebris, nisi Mathaeus nobis aliquid lucis praerberet, frustra enim & apud alios scriptores sacros quo niti possis, quaeres. Ille autem cum

*Quam diu post natum Christum Herodes uixerit?*



de Herode magorum aduentu perterrita, ac infan-  
 cidio nefando ab eo commisso, mentionem facit,  
 haec uerba inserit: *Και ἀποστείλας ἀνέειλε πάντας*  
*τούς ἐν Βηθλεὲμ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὄρεσι αὐτῆς ἀπὸ δι-*  
*ετούς καὶ κατωτέρω, κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ*  
*τῶν μάγων. Match. 11. 16.* E quibus dictis patet  
 Christum tempore infanticidii alterum aetatis an-  
 num nondum attigisse, neque tamen longe a bien-  
 nio abfuisse. Non enim adeo infestum fuisse hu-  
 mano generi Herodes, nobis persuasum est, ut &  
 eos occidere iussisset infantes quos certo sciret esse  
 eo quem quaerebat multum aut iuniores, aut ae-  
 tate prouectiores. *Scilicet intellexit e Magis an-*  
*num iam integrum esse elapsum, a quo tempore stel-*  
*lam illi uiderint, & e stella natiuitatem Christi col-*  
*legerint, quod igitur Herodes sciret non biennium*  
*completum indicasse Magos, occidit, nempe maioris*  
*certitudinis causa, infantes ἀπὸ διετούς καὶ κατω-*  
*τέρω uerba sunt Aegid. Strauchii. in Breuiar. chro-*  
*nolog. cap. XXXVI. Quaest. XII.* Ponamus igitur  
 Christum, dum cum parentibus in Aegyptum fu-  
 git, aetatis annum primum cum dimidio secun-  
 di compleuisse, quod circiter tempus ex hoc lo-  
 co colligi potest, uerisimile est, ab eo tempore  
 usque ad mortem Herodis ultra sex menses non  
 esse praeterlapsos. Praeterquam enim quod nul-  
 lum apud auctores sacros uestigium est Christum  
 diu in Aegypto se tenuisse, nobiscum praecipue  
 facit communis, ac ab Eusebio imprimis confir-  
 mata hypothesis, statim nempe post insidias ser-  
 uatori nostro structas coelitus immissam Herodi  
 pla-

plagam, eum ad extremum usque uitae habitum  
 afflictaſſe. Sic enim *Eusebius Hist. Eccl. L. I. cap. 8.*  
*Αμα τῇ κατὰ τοῦ Σαυῆρος ἡμῶν καὶ τῶν ἁδελφῶν ἡμῶν ἐπι-*  
*βουλῇ θελήσας αὐτὸν καταδέσσειν αἰμασίν, ἐς θάνα-*  
*τον συνέλασεν.* Quibus omnibus rite consideratis  
 sua sponte fuit Christum Herode moriente alte-  
 rum aetatis annum aut iam absoluisse, aut cer-  
 te ab eo non multum abfuisse. Cum igitur, quod  
 supra iam demonstratum dedimus, Herodis obi-  
 itis in annum ab V. C. DCCLi, Iulianum XLIII,  
 Augusti XLII, incidat; necessario annus V. C.  
 DCCXLIX, Iulianus XLI, qui est ante commu-  
 nem aeram Vtus, natiuitati Christi uenit assi-  
 gnandus.

CAP. III.

De

SIGNIS A TEMPORE BA-  
 TISMI IESV CHRISTI DE-  
 SVMPTIS.

§. I.

**P**rogredimur nunc ad ea, quae de baptismo *Baptismi*  
 Seruatoris nostri sacra nobis pagina tradit, *tempus in-*  
 ac uideamus an, & quomodo ista senten- *dicatur a*  
 tiae nostrae faucant, aut cum illa conciliari pos- *Luca.*  
 sint, de quo quidem multi ne cogitandum qui-  
 dem esse, existimarunt. Ac tempus qui-  
 dem, quo Dominus noster baptizatus  
 est, satis accurate indicare uidetur Lucas,  
 dum

dam cap. III. v. r. dicit: ἐν ἔτει δευτέρῳ ἀφ' οὗ ἤρξατο Τιβέριου Καίσαρος, ἠγεμώμεντος Ἰουδαίας, αὐτοῦ τῆς Ἰουδαίας cetera; quem decimum quintum Tiberii annum postea v. 23, cum trigesimo aetatis Christi coniungit, dicens: καὶ αὐτὸς ἦν ὁ ἴσος ὅτε ἐτῶν τριάντων. Ipse autem Iesus annos habebat quasi triginta.

## §. II.

Cuius-  
tamen uerba  
narratio ex-  
plicatur.

III. Quibus uerbis, Iesum Christum anno Tiberiaci imperii decimo quinto trigesimo aetatis annum egisse, innui, quam plurimi sibi ita persuaderunt, ut crederent nihil sibi amplius negotii esse ad natale uerum eruendum, quam ut a decimo quinto Tiberii anno triginta retro numerent, quo factus annus Jul. XLIII, Aug. XLII, sese offerret, qui proinde pro uero ac a Luca ipso indicato sit accipiendus. Verum enim uero nondum a deo clara sunt haec Lucae uerba, ut ideo euidentiora, quae adfuerunt, signa postponamus, atque ad eorum castra pertranseamus qui posthabitis aliorum sententiis, illam quam ipsi excogitarunt pro uera nobis obtrudere conantur, cum tamen nec aliam textus respuat, imo potius postulet.

## §. III.

Lucae computationem ad Iohannem respicere.

Narrat autem Lucas eo, quem supra adduximus loco, Iohannem Baptistam anno Imperatoris Tiberii decimo quinto ministerium suum inter Iudaeos exorsum esse; interque eos, quibus magno numero baptizauit, Christum Iesum quoque aqua tin-

tinctum esse, tum temporis *ὡς ἐτὼν ὄσεί τριάκοντα*, quo *ἀννοσθῆναι ἔσσει, quasi triginta.* Vbi iam dudum notarunt viri docti, neminem ex hoc loco probare posse, Christum decimo quinto Tiberii egisse triginta annos, quin solummodo Lucas dicat, Iohannem Baptistam anno Tiberii XV, ministerium suum auspicasse; neque proinde inepte statui, Christum non statim ab initio, sed longe postquam Iohannes officio doctoris fungi coepit, fuisse baptizatum.

§. IV.

Ponamus autem eo ipso anno, quo prodiiisse Iohannem Lucas affirmat, Christum etiam ad eum accessisse, nondum tamen erit eunctum, anne in eunte trigesimo aetatis anno, an vero isto iam iam exacto, aqua tinctus sit. *Ὁσεί* certe particula, quam Lucas addit, nodum hunc non soluit, sed magis potius adstringit. Totus quidem in eo est Ioseph. Scaliger, ut demonstrat, particulam hanc non dubitandi, sed maiorem certitudinem indicandi causa, hic esse appositam. Merito autem ideo castigatus est ab aliis, qui neque emphasim quandam, neque dubitationem ei inesse, sed idem quod *plus minus*, aut *circiter* significat, eam denotare, crediderunt; vid. *Petavius doctr. temp.* l. XII. cap. 5. Quam particulae huius significationem intuentes alii, mox in vigesimum nonum, mox in trigessimum primum, imo etiam secundum aetatis Christi annum inciderunt, quo baptismum eius contigisse asseuerarunt.

*ὄσεί part. ambigua esse.*



Igitur cum tam uariae de baptisimi Christi tempore eruditorum sint sententiae, non sine causa dubium nasci potest, an & quicquam certo ac explorate ex isto possit colligi? ubi non desunt, qui dubiorum grauitate moti, nullam ex hoc a Luca dato signo baptisimi Christi certitudinem sperandam esse contendunt. Exemplo nobis sit doctiss. *Petauius*, qui postquam loco, quem supra citauimus, uarias de baptisimo Christi sententias recensuisset, tandem addit: *Haec sunt quae prudentem hominem assensum suum alterutram in partem praecipitare prohibent, faterique cogant, coniecturis tantummodo probabilibus, non certis argumentis eos inniti, qui baptismum Christi certo anno haecenus circumscribunt.* Inuenient autem quo firmissime inniti possunt fundamentum, ii, qui annorum Tiberii computationem accuratius inspicere uolunt. Illam enim non una semper eademque ratione fieri, ad liquidum perduxit, ac post *Joh. Georg. Heruuarum* firmissimis rationibus demonstrauit, celeb. *Ant. Pagi Tom. i. appar. crit. ad ann. Christi XI*, ubi *Dionis, Suetonii, Taciti, Vellei, Clementis Alexandrini* aliorumque testimoniis suffultus, docet: *Tiberium iam Augusto uiuente imperii collegam fuisse, & ab ea dignitate annos eius numeratos pro certo posuisse ecclesiae patres antiqui.* Docent enim illi, quos modo commemorauimus, historiae conditores, Tiberium ab Augusto in imperii societatem receptum, parem cum patre in prouinciis & apud exercitum potestata-



statem obtinuisse. Inter quos praecipue Tacitus  
 annal. l. i. Cap. III. huic sententiae multum ponderis  
 assert, apud quem, *collega imperii ac Tribuni-*  
*ciae potestatis conjors* Tiberius audit.

§. VI.

Si de tempore quo dignitatem istam, quam  
 Proconsularem uocarunt Romani, adsumpserit Ti-  
 berius quaeramus, tunc docebunt nos Dionis a-  
 liorumque a Pagio accuratius enarrata testimonia,  
 conuenire id cum anno ab V. C. DCCLXIV,  
 Iul. LVI, quo anno, ut prouinciae praeesset, in  
 Galliam abiit Tiberius, & subsequente altero tri-  
 umphum Pannonicum Romae egit. Igitur per  
 tres iam iam ante Augusti obitum annos *Imperii*  
*collega ac Proconsul* salutarus fuit Tiberius. Au-  
 gustus enim obiit die XIX. Augusti mensis anno  
 ab ab V. C. DCCLXVII, Iul. LIX, Ab hoc igitur  
 tempore quo collega imperii factus est, multi an-  
 nos eius numerare coeperunt. Ac de Clemente  
 quidem Alexandrino satis clarum est eum annos  
 Tiberii ab isto tempore numerasse, scribit enim  
 libr. Strom. l. illum regnasse *annis uiginti sex, men-*  
*sibus sex, diebus nonendecim.* Suetonio autem in *Ti-*  
*ber.* Cap. XVI, & Tacito annal. l. VI, testibus, mor-  
 tuus est XVII Kalend Aprilis postquam regnasset  
 annos XXIII, scilicet solus, ac post mortem Au-  
 gusti. Si igitur ex Clementis summa annos XXIII,  
 detrahamus, residuum nobis indicabit annum Pro-  
 consularem Tiberii primum, eumque, quem iam su-  
 pra posuimus, cuius anni die XXVIII Augusti, in  
 Senatu Proconsulem declaratum esse Tiberium, ul-  
 terius probat *Pagii* l. c.

Quo tempo-  
 re Tiberius  
 Proconsul  
 factus sit?

VII. Quae

*Ab hac Pro-  
consul di-  
gnitate Lu-  
cam XV an-  
nos uiue-  
rassē.*

Quae uti ab omni uiolentia abhorrent, testi-  
monii que historicorum clarissimorum confirma-  
ta sunt, ita cum Lucae uerbis mirifice conueni-  
unt, sententiamque nostram de anno natali firmissi-  
mo talo subfulciunt. Posuimus, supra uerum  
Christi natale incidisse in annum ab V. C. DCCXLIX,  
Iul. XLI, cui si triginta annos, quos secundum Lu-  
cam Christus dum ad baprisimum accederet, egit,  
adiicies; incidet in annum ab V. C. DCCLXXIX,  
Iul. LXXI, qui est annus Proconsularis Tiberii  
XV, primo ab eo, quem supra posuimus, ratione  
Iuliano LVI, incipiente. Et hac quidem ratione  
difficillimam hanc de aetate Christi tempore ba-  
pismi sui quaestionem optime explicari posse, ne-  
mo neget. Neque enim monumentis historicis  
contradicit haec annorum Tiberii computatio,  
neque opus habemus, ut de particula *ωσεί*, quod  
plurimi faciunt, multa uerba faciamus, cum, quod  
& sacrae litterae nobis indicant, hac explicatione,  
clarissime demonstratur, Christum nempe ad ba-  
prium accedentem, trigessimum aetatis suae an-  
num egisse.

### CAP. IV.

## QVO SENTENTIAE QVO- RVNDAM PATRVM ECCLESIAE DE NATALI CHRISTI ANNO RECEN- SENTVR.

### §. I.

*Patrum in  
hac re ob-*

**I**n epocha natiuitatis Christi figenda auctorita-  
tem

*securitas ac  
dissensur.*

tem Patrum primorum praecipue seculorum post Christum, multum ualere, unusquisque credat, qui, quo magis Christi temporibus propinquiore futere, eo facilius etiam de natiuitate eius certi aliquid eos proferre potuisse, cogitat. Ast nescio quo fato factum sit, ut tam manifeste a uero aberrent, ac inuicem sibi contradicant uiri plerumque doctissimi ac historiarum peritissimi, legendo insuper atque exquirendo indefessi. Tantum enim abest, ut ex iis quod liqueat in apicium proferre possit lector, ut potius crebra eorum lectio ac eolutio eum perturbet magis atque inuoluat. Cuius obscuritatis non ultimam causam esse arbitramur, quod in computandis annis Christi magna ex parte alius alia usus sit aera, annos partim ab Actiaca pugna, uel capta Alexandria, partim ab initio imperii Augusti, aut primo eius consulatu, partim ab annis Tiberii, morteque uel auspiciis alius imperatoris, numerans. Ex quo postea factum est, ut, dum alter alterius auctoritati fideret, neque tamen ad diuersam, qua ille a sua usus est, aeram respiceret, id bona fide ad suam aeram transtulerit, quod secundum alterius mentem de plane alia esset intelligendum. Quem cum aliis a Patribus commissis erroribus, in subsequendis lector sapissime reperiet.

§. II.

Inter eos apud quos primum de anno natali filii Dei mentio fit, est *Tertullianus*, qui *libr. IV. contra Marcionem*, cap. XIX, aduersus haereticos probans Christum hominem in carne natum esse, ait:

*... Sed*

-no?

*Sed & census constat actos sub Augusto runc in Iudaea per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent.* Cui Tertulliani sententiae si inhaereamus necessario statuendum esset, Iesum Christum in carnem fuisse editum anno ab V. C. DCCLVIII, aut antea, eodem enim anno Saturninum Iudaeam reliquisse, monumenta historica nos edocent. Neque enim est cur cum Baronio fingamus alium Saturninum, anno ab V. C. DCCLVII, Romae consulari dignitate fulgentem, sub cuius demum consulatu descriptio ista facta sit; cum certo scimus fuisse circa id tempus Sentium quendam Saturninum, qui res Syriae administravit, & cui deinde Quintilius Varus successit. Nostra igitur est sententia, descriptionem istam Saturnino adhuc Syriae Praefide quidem inceptam, neque tamen ab eo, sed Quintilio demum Varo ad finem fuisse perductam, quo administrante salus mundi apparuit; ideo tamen a Tertulliano aliisque descriptionem Saturnino adscribi, quoniam sub eius regimine incepta, atque fortassis quoad maximam partem absoluta fuit. Deinde & alio adhuc loco de natiuitate Christi mentionem iniecit Tertullianus, nempe *Cap. VIII. aduersus Iudaeos*, quo dicit: *uidemus autem quoniam XLI anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatrae regnavit, nascitur Christus, & superuixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis XV.* Quae Tertulliani sententia longe est falsissima, ex qua sequeretur, Augustum ad LXXII, ferme annos regnasse, id quod omnifidei historicae repugnat. Mors enim Cleopatrae, a qua XLI annos imperii Augusti numerat

con-

contigit anno Iul. XVI, Aug. XV, scilicet a morte  
 statim Caesaris petito, iam si mortua ea ante Chri-  
 stum natum XLI, postea uero adhuc XV annos ui-  
 xisset Augustus, imperii eius anni ad LXXII excu-  
 rarent. Manifestum ergo est Tertullianum XLI,  
 hos annos, quos a subigato Aegypto, aut morte  
 Cleopatrae numerat, a primo initio potestatis Au-  
 gusti, aut ab anno Iul. II. petere debuisse, & sic, si  
 quindecim, quos post Christum natum eum uixisse  
 credit, annos superaddidisset, numerum anno-  
 rum Augusti, qui ad LVI ascendit, & quem alii  
 historici exactissime designarunt, inuenisset.

§. II.

Quae Clementis Alexandrini de natali Iesu Chri-  
 sti sit sententia, ipse *libr. I. Stromat.* nos edocet, ubi *titis Alexan-*  
*drini,* inquit: *Εγενήθη δὲ ὁ Κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ ἑνὸς ὡ-*  
*στέρι ὅτε πρῶτον ἐπέδυσαν αἰπὸς γαλαθῆς γυνήταται ἐπὶ Αὐ-*  
*γούστου.* Natus est Dominus noster uicesimo octauo an-  
 no, quando primum imperatum est descriptiones fi-  
 eri ab Augusto. Certum est Clementem annos hos  
 XXVIII, a capta Alexandria, seu morte Cleopatrae  
 numerare coepisse, quam quae aera tum temporis  
 maxime fuit usitata. Ponit itaque natiuitatis Chri-  
 sti momentum, in annum Iul. XLIV, Augusti uero  
 XLIII, tertium ante uulgarem aera, id quod ex  
 supra dictis, ubi annum ab Alexandria capta Au-  
 gusti decimum quintum esse demonstrauimus, lu-  
 culenter apparet. Huc etiam facit, quod & eodem  
 loco, libro nempe primo Stromat. scribit: *a nati-*  
*uitate Christi usque ad mortem Commodi Imperato-*  
*ris elapsos esse CXCIV annos.* Natus autem est Com-  
 modus, teste Lampridio in eius uita Cap. I, pridie  
 D 2 Ka-

*Kalend. Septembr. patre patruoque Consulibus, i. e.* anno Christi CLXI, aeræ communis, secundum Pagium; & e uiuis excessit, cum annos haberet XXXI, mensis VI, quod Dio memorat; ex quo sequitur eum mortuum esse anno Christi CXCI, secundum communem aeram, h. e. Augusti XLIII, quem pro uero natali Clemens uenditat.

## §. III.

Eusebii,

Parum a Clemente differt *Eusebius*, qui *Histor. Eccles. Libr. I. Cap. V.* tempus natiuitatis huius characteribus describit: Ἡ δὲ οὖν τούτου δεύτερον καὶ τεσσαράκοντον ἔτος τῆς Ἀυγούστου βασιλείας, Αἰγύπτου δὲ ὑποταγῆς καὶ τῆς τελευτῆς Ἀντωνίου καὶ Κλεοπάτρας, εἰς ἣν ὑστάτην ἠκούσα Ἀιγύπτου τῶν Πτολεμαίων κατέβηξε δυναστεία οὐδὲν ἔτος καὶ ἐμὸσον ὀππῆλαι ὁ Σωτῆρ καὶ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐπὶ τῆς τότε πρώτης ἀπογραφῆς ἡγεμο εὐστος τῆς Συρίας Κυρηνίку, ἀκολούθως ταῖς περὶ αὐτοῦ προφητείας ἐν Βηθλεὲμ γενναίται τῆς Ἰουδαίας. h. e. *Secundus igitur ac quadragesimus regni Augusti agebatur annus, octauus autem ac uicesimus a subjugato Aegypto, & Antonii Cleopatraeque morte, in qua dominatus ac regnum Ptolomaeorum in Aegypto desit, cum seruator ac Dominus noster Iesus Christus, sub primo censu Cyrenii, id temporis praefecti Syriae, congruenter secundum Prophetarum uaticinia in Bethlehem Iuda nascitur.* Errat autem Eusebius primum in eo, quod Quirinium iam eo tempore quo natus est Saluator noster Syriae Praesidem fuisse credat; deinde quod hanc Cyrenii praefecturam cum anno Augusti XLIII, coniungat. Liqueet enim ex historia Quirinium demum anno Augusti LI, Christi septimo, secundum communem aeram, Archelao nempe exilio mulctato, in Iudaeam uenisse.

nisse. Quodsi autem quis haec Eusebii uerba de duplici Quirinii in Syria aduentu, qualem Norrifi- us, Pagi, aliique statuunt, accipere uelit, istum ad ea quae Cap. I. §. V. diximus, ablegamus.

§. V.

Neque etiam *Epiphanius* alienus est ab ea sen-<sup>4) ac Epi-</sup> tentia, Christum nempe quadragesimo secundo <sup>phaniis,</sup> Augusti anno natum esse, *Libr. enim I. aduers. haereses, haeres. XX.* dicit: *Τὸ γὰρ τριακὸς τρίτω ἔτος Ἡρώδου, τεσσαρεκκοσῶ δὲ δευτέρω Ἀυγούστου βασιλείας γεννάται ὁ Σωτὴρ ἐν Βηθλεὲμ Ἰουδαίας.* Herodes, uti ex Iosepho discimus regnauit annos XXXVII, quorum initium est ab anno Iul. VI, aut Aug. V, falsissimum ergo est annum Herodis XXXIII, esse Augusti XLIII, qui demum esset annus eius XXXVIII. Sic si Christus natus esset anno Herodis trigesimo tertio, natale ipsius incidere in annum ab V. C. DCCXLVII, Iul. XXXIX, Aug. XXXVIII, non autem XLIII.

Operam itaque & oleum perdet is, qui ex scriptis Patrum ueram de natali Christi sententiam eruere credit. Illi enim aut plane de certo tempore dissentiunt, aut si casu in illo conspirant, tamen & Chronologia & signa ab ipsis apposita reclamabunt, propriaque argumenta conuellent.

## CAP. V.

De

MENSE ET DIE QVO CHRIS-  
TUS NATVS EST.

## §. I.

*Christum  
XXV. Dec.  
natum non  
esse proba-  
tur.*

**A**vdaciae nos ac temeritatis haut pauci for-  
tassis arguent, quod dere difficillima ac  
cognitufere impossibili in hac nostra dis-  
sertatione agere instituerimus, ubi nihil praeter  
coniecturas afferre nos oporteat, omnibus histo-  
ricis de mense ac die quo Christus natus sit silen-  
tibus. Ast quamquam libenter fatemur, certis ac  
indubitatis hic argumentis nos uti non posse, omni  
adiumento historico destituti, neminem tamen &  
ea legere pigebit arbitramur, quae probabilia  
quamuis, nec proinde extra contentionem posita,  
facile tamen lectoris assensum elicere possunt; cum  
praesertim quam multa sunt quae receptam eccle-  
siae nostrae de die natali Iesu Christi opinionem  
dubiam reddunt ac ambiguam. Paucis itaque,  
antequam de mense ac die agamus, demonstrare  
neceffe est, hunc ab Ecclesia natiuitati Christi assi-  
gnatum diem neque cum consuetudine antiquo-  
ris ecclesiae, neque etiam cum signis a scriptori-  
bus sacris nobis datis conuenire, ac proinde pro  
falso ac spurio merito haberi.

§. II. Ac



§. II.

Ac ad antiquioris ecclesiae quidem de nata-  
 li Christi sententiam quod attinet, nulli ignotum  
 est, *Graecam Ecclesiam* prioribus seculis VIII. *Iduum*  
*Ianuarii* natiuitati eius sacrasse, quae dies ideo ab  
 illis ἡμέρα τῶν ἐπιφανείων, seu apparitionis dies, cog-  
 nominatus fuit. Cuius rei testem e multis unum  
 producemus *Epiphanium*, qui dum *Alog. p. 439.* de  
 baptismo Christi loquitur, accidisse eum ait πρὸ  
 ἐξήκοντα ἡμέρων τῆς ἡμέρας τῶν ἐπιφανείων, ἡ ἐστὶν ἡμέρα  
 τῆς αὐτοῦ γενέσεως κατὰ σάββα. h. e. *sexaginta an-*  
*te festum Epiphaniarum die, qua is natus est secun-*  
*dum carnem, cum quo & Nazianzenus, Cassianus*  
 multique alii consentiunt. Quae sententia in o-  
 rientem usque ad seculum quintum regnavit, cuius  
 demum sub initio factum est, ut Romanae Eccle-  
 siae sententiam amplecterentur Graeci, diemque  
 VIII. Kalend. Ianuarii pro uero natali, VIII uero  
 Idus Ian. pro eo quo baptizatus sit Christus, acci-  
 perent. Cuius rei testem habemus *Chrysostrum*,  
 qui *Homilia in natal. seruat. diem, serm. XXXI. op.*  
*Tom. V.* scribit: illud natalis tempus, scilicet VIII  
 Kal. Ian. ante decem annos ex uetere Roma atque  
 occidente in orientem esse allatum, παρὰ τῶν ἀρι-  
 στῶν παρελήφμεν τὴν ἡμέραν. Chrysostrum au-  
 tem, idquod nullus nescit sub initio seculi V. flo-  
 ruit; ex quo patet eam sententiam exeunte quar-  
 to seculo in Graecia inualuisse.

§. III.

## §. III.

2) *Ex tempore a Luca designato.*

Deinde etiam Lucae historia manifeste huic sententiae contradicit, illa enim Bethlehemiticōs pastores, quibus natum Christum angeli annunciarunt, in agris pernoctasse tradit. E quibus Lucae uerbis iam dudum colligerunt uiri docti, Christum hieme editum non esse. Equidem benigniorem in terra sancta, ac tota ferè Asia quam apud nos inueniri aërem, certo certius est, neque tamen ea est clementia coeli, ut per totas noctes sub diomolari possent homines, qui quo magis aestu adfucti, eo magis etiam frigore, licet non adeo magno excruciantur. Iacobus sane Patriarcha Genes. XXXI. v. 40. de nocturno gelu apud Labanem quaeritur, qui eadem sub coeli plaga greges curauit, ac Cyprianus testatur, Africam axi coeli torrentissimo subditam hiemis frigore multum laborasse.

## §. IV.

*Variae de die natali sententiae recensentur.*

Haec omnia cum minime quadrare uiderent uiri docti testimoniis autem quibus inniti possent destituerentur, ex ingenii sui fontibus ausi sunt supplere, illa, quae sacra pariter ac profana historia nobis negant. Aequinoctio uerno VIII Kalend. Aprilis Christum natum esse, *Paulus Middelburgensis Episcopus Foro-Sempronii* in tractatu quem de *Paschionis die* ad Maximilianum Imperatorem scripsit, *Libr. XIX. Cap. IV.* existimat, rationem adiiciens: *quia idem modus esse debuit reformationis mundi,* *quā*

qui fuit primae eius creationi; mundus autem creatus est in aequinoctio uernali. Quae cuius ponderis sit ratio unusquisque intelliget. Alii autumnale tempus nominant, ac pro uero natiuitatis uenditant, praecipue his ex caussis: quod in autumno Sabbatici & Iubilaei anni initium habuerint, eodemque tempore expiationis ac Scenopegiae festa celebrata sint. Alii rursus in hebdomatibus de quibus apud *Danielem* prophetam Cap. IX, legitur se quidquam inuenisse existimant, quo certum tempus designare possint, quae etsi partim uero admodum sint propinqua, certitudinem tamen nullam inuoluunt.

§. V.

Aliam uiam ingressus *Ioseph Scaliger*, ex ephemeridibus Sacerdotum, interque eas octaua, quae Abiae est, probare conatur, Christum *Septembri mense* natum esse, id quod in opere *de emendatione temporum*, alibi facit. Colligit id nempe ex antiquo *Dauidis* instituto, 1 Paral. XXIV, seu XXV, v. 10, ubi omnes *Aaronis* posterii in XXIV, ephemerias seu classes distributi sunt, quae ordine in templo ministrabant, ac singulae sibi succedebant. Principem inter eas locum sorte obtinuit *Iosari* familia, octauum uero Abiae. Hunc ordinem inter eas sanctissime fuisse obseruatum, ex *Iosepho* probat *Scaliger*, ita quidem ut non solum per functiones non miscerentur, sed ne uitae quidem periculo a fungendo officio absterrentur ministrantes. Ac quamquam eos ordines a *Dauidis* tempore nonnumquam interruptos esse fateatur, quemadmodum in euerfione templi a *Nabuchodon-*

*Scaligeri opinio.*

donosore facta; contigit, eos tamen, a Iuda Maccabaeo iterum restituti, deinceps perpetuo ad excidium usque templi posterius propagatos fuisse. Iam Christi natale biennio ante commune contigisse ponit Scaliger, Zachariam autem XV ante Christum natum mensibus, quod sacra historia docet, euangelium de filio nascendo accepisse. Statim enim post expletum functionis suae tempus Elisabeth concepisse, Luca Cap. I, v. 24, testante, sexto mense post angelum ad Mariam uenisse, v. 26, ac nono deinde Christum natum esse. Itaque ut porro tempus liqueat, a purgatione templi per Iudam Maccabaicum facta usque ad aduentum Iohannis ephemeridiarum ordinem perducit. Purgationem autem templi contigisse anno Graecorum CXLVIII, die XXV, Casleu, ex I Maccab. IV, 52. probat, quem annum fuisse Periodi Iulian. 4549, diemque XXIII, Nouemb. cuius pridie, quod Sabbatum erat, primam ephemeriam functionem iniisse, ulterius deducit. Eam autem Ioaribi fuisse, ordinem postulare. Cum igitur XXIV, essent Classes, seu ephemeriae, quarum quaelibet per septem dies ministravit, diebus CLXVIII, finitis primam iterum incepisse, uiginti quatuor enim septies numerari numerum hunc conficiunt, quod temporis spatium *orbem hieraticum* Scaliger appellat. Si igitur, porro concludit, XXII Novembris die init familia Ioaribi, Abiae familia, quae octaua fuit coepit anno per Iul. 4550, X Ianuarii. Inde ad Sabbatum XXI Iulii anni 4710 fluxisse annos CLX, dies CXCII. qui sunt orbis hieratici CCCXLIX. Ex quo porro sequitur, XXVIII. Iulii dies functionis

Za-

Zachariae fuisse impletos, postque hunc diem de-  
 mum Iohannem conceptum esse, cum antea inter  
 XXI & XXVIII angelus Zachariae apparuerit. Sex-  
 to post mense ineunte, circa finem nempe Decem-  
 bris Gabrielem ad Mariam uenisse, ac circa fi-  
 nem Septembris natiuitatem Christi accidisse.  
 Quae omnia prolixius etiam enarrat *Petauius Doct.*  
*Temp. l. XII. cap. VII.* Ingeniosiore certe hac Scali-  
 gerioriana sententia opinionem, nemo expectabit,  
 & si fundamenta quibus nititur bene semper iacta  
 sent, ambabus eam amplecteremur manibus, quippe  
 quae & scripturae sacrae & dubiis omnibus plenissi-  
 me satisfacit. Sed ne dicam plane, incertum adhuc  
 esse an a Ioaribi familia Iudas initium functionis  
 fecerit, plurima praeterea sunt, a Petauio aliisque  
 notata, quae ancipitem reddunt lectorem, ut tan-  
 dem quo se uertat nesciat.

§. VI.

Non minus ingeniosa, pari tamen incertitu-  
 dine laborans est ea explicatio, qua ex morte He-  
 rodis, de qua supra cap. II. §. 3. diximus, diem na-  
 tiuitatis Christi eruere conantur uiri docti. Per-  
 suadent nempe sibi septiduo iam post mortem  
 Herodis Christum Iesum Deo ex lege in templo  
 oblatum esse, die quadragesimo primo puerperii  
 Mariae. Mathaeum enim cap. II. v. 19. terminum  
 habitationis in Aegypto cum momento mortis  
 Herodis, Lucam autem cap. II. v. 39. reditum in  
 Galilaeam cum sacris puerperii coniunxisse. Er-  
 go, inferunt, si post quadraginta dies Iesus cum  
 parentibus reuersus est in Galilaeam, sequitur eo  
 tempore Herodem iam e uiuis fuisse sublatum,  
 E 2 Chri-

*An ex histo-  
 ria Euange-  
 lica certus  
 dies possit  
 erui?*

Christumque ex Aegypto ante hos XLI. dies iam fuisse reuersum. Herodes autem, id quod Iudaeorum fasti indicant, mortuus est septimo mensis Casleu, qui erat XXV. Nouembr. eiusdem anni, ergo Christus natus est XXII. circiter Octobr. septiduo scilicet post mortem Herodis. Verum nescio an illud Lucae de reditu in Galilaeam post puerperium tam stricte interpretari debeat, ut intermedium omne tempus excludatur, quam sapissime enim connectunt historici casus tempore inter se quam maxime disiunctos. Taceo, quod impossibile plane uideatur, fugam cum reditu ex Aegypto tam breui temporis spatio potuisse absolui, Aegypto a Palaestina magno salis interuallo distante.

## §. VII.

*Circa aequinoctium autum-  
nale natum esse  
Christum  
probabile.*

Inanis igitur aut irritus labor esset, ualidis ac certis argumentis faustum illud aduentus Christi in carnem tempus demonstrare uelle, cum omnia quae proferre possumus coniecturis saltem assequi nos oporteat. Silent qui reliqua nobis consignant sacri scriptores, nec in profanis etiam quod huc faciat reperies. Traditiones Ecclesiae sibi contradicunt inuicem, ac incassum laborabis eas in gratiam redigere. Probabile tamen nobis uidetur, Christum hominem autumnali tempore, ac circa aequinoctium mundum aspexisse, quod sane Evangelistarum uerbis optime congruit. Ceterum nemo nos ideo iratos habebit, si Christum alio tempore natum esse existimabit, qui certiora, si quis proferet, libenter audiemus, semper ueritati, sepositis omnibus praecudicatis opinionibus subscribentes.







99 A 6910

ULB Halle 3  
002 710 579




sb.

VD 97

Retio

Mi. 68.







29  
Q. D. B. V.  
DE

# ANNO ET DIE NATIVITATIS CHRISTI

DISQUISITIONEM HISTORICO-CHRONOLOGICAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM  
ORDINE,

H. L. Q. C.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SISTVNT

PRAESES  
M. IOHAN. CHRISTIAN. KNEBEL

ONOLDINO-FRANCVS,

AC RESPONDENS

ALBERTVS GABRIEL GROTHAVS,

Osnabrugensis.

---

DIE X. OCTOBER. AN. MDCCXXII.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typ.

N. Wallb...